

his continentur : posterior autem ita habet . *Mundus est corporum ordi-
natio , & distributio , quæ a Deo , & propter Deum conseruatur .*

MUNDVM quidam philosophi æternum putauerunt , sine princi-
pio ac fine , vt Aristoteles , eiusq; sectatores non pauci . Plinius quoq;
lib. 2. naturalis historiæ cap. 1. idem sentit , cum dicit . [*Mundum*
& hoc , quod nomine alio cælum appellare libuit , cuius circum
flexu teguntur cuncta , nunc esse credi par est , æternū , immen-
sum , neq; genitum , neq; interiturum vnquā] *Fides tamen catho-
lica docet mundum incepisse , creatumq; fuisse , atq; conditū a Deo Opt.
Max. ex nihilo , solo verbo , vt esset domicilium humane nature , in
qua ipse innotescere , & conspici voluit , Vt legimus cap. 1. Gen. Immo
& Plato in Tymæo tradit , Deum esse mundi opificem . Rursus nonnulli
philosophi , inter quos fuit Democritus , innumerabiles esse mundos cen-
sebant , alios extra alios , quasi pilas , seu globos . Est enim forma mū-
di rotunda , & globosa , vt postea dicetur : Quod cum Anaxarchus De-
mocriti discipulus Alexandro Magno retulisset , ingemuisse fertur Ale-
xander dicens . Heu me miserū , qui ne vno quidem adhuc positus sum .
Aristoteles tamen , & Theologi nostri sentiunt , vnum duntaxat esse mū-
dum , quamuis Deus Opt. Max. infinitos mundos sua potentia absolu-
ta secundum Theologos possit producere .*

ANTIQVI porro philosophi , & grauiissimi Theologi omnia ,
quæcunq; existunt , in tria genera pariti sunt , adeo vt triplicem esse
mundum asseruerint , nempe *Vltiramundanum* , *Cælestem* , & *Subluna-
rem* . *Vltiramundanum* Theologi Angelicum , philosophi Intellectualem
nuncupant , cōprehendentem Deum opt. max. cum omnibus intelligen-
tijs . *Cælestis* , ex orbibus , & spheris cælestibus , quotquot sunt , inte-
gratur , & vsitato vocabulo Cælum appellatur . *Sublunaris* deniq;
quem nos incolimus , dicitur is , qui omnia , quæ intra totius Cæli Luna-
ris concauem reposita sunt , vt sunt elementa , animalia , res inanimatæ ,
&c. completitur .

NOSTER igitur auctor relinquens mundum *vltramunda-
num* , quoniam eius consideratio ab Astrologo aliena est , & potius ad
Metaphysicum , vel *Theologum* spectat , diuisit mundum , vt com-
pletitur *cælestem* , & *Sublunarem* , in duo hæc membra , ex quibus
veluti partibus integratur , nempe in regionem *Elementarem* , &
Ætheream . Vocauit autē has duas potissimas Mundi partes regiones ,
propter